DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
URINAE RETENTIONE,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Franciscus Vincentius Broscha,
Moravus Obrovaënsis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 11. mensis Julii 1835.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Conspectus brevis anatomicus et physiologicus vesicae urinariae.

Antequam de retentione urinae loquar, necesse est, ut vesicae urinariae structuram ejusque functionem brevi attingam manu; nam firma et infallibilis organi cujusdam diagnosis, prognosis et medela, aptam et debitam hujus requirit anatomicam et physiologicam cognitionem.

Est vesica urinaria saccus membranaceus in pelvi situs et lotii a renibus secreti atque ab uretheribus ad vesicam translati collectioni destinatus. Anatomi duas distinguunt superficies: quarum una anterior, versus ossa pubis, altera posterior, in viris versus intestinum rectum, in feminis ad uterum spectat. Duos habet margines obtuse rotundos, dextrum, sinistrum. Pars latior et inferior, quae basis adpellatur, in sexu potiori intestino recto, in sequiori utero insidet. In utroque latere, ubi uretheres intrant, colles vesicae inveniuntur. Pars superior convexa fundus, pars media angustior corpus, pars denique inferior collum seu cervix nominatur.

Magnitudo vesicae pro hominum diversitate et pro majori vel minori lotii collectione diversa.

In feminis non raro, ob verecundiam urinam justo diutius retinendi, ad immensam adcrescit magnitudinem et in utroque latere duos adquirit recessus seu sinus. Vesica dum repleta est, pars ejus superior

anteriora versus spectat. Superficies anterior post ossa pubis est, et parte inferiori excepta a peritonaeo tegitur; pars quoque posterior, eo usque, ubi intestino recto in viris, in feminis utero insidet a peritonaeo obducitur, ita, ut tota pene vesica hac membrana sit circumdata.

Tribus gaudet tunicis : musculosa, nervea et intima. —

Musculosa per telam cellulosam laxam, multum adipis continentem ossibus pubis inhaeret et ex fibris longitudinalibus, circularibus et obliquis constat, quae in collo vesicae anulum, qui sphincter vesicae urinariae adpellatur et lotio retinendo destinatus est, formant.

Tunica nervea a cute oritur.

Tunica intima, epidermidis continuatio, multas habet cryptas mucosas, quo fit, ut muco semper sit obducta. Circa collum vesicae et uretherum exitus multae inveniuntur glandulae simplices. Praeterea notari debent uretheres, qui in utroque latere in vesicae collibus finiuntur; deinde urethra, lotium educens, quae brevior in feminis quam in viris, in his sub glande pennis, in illis sub clitoride finitur; et denique urachus, qui a vesicae fundo incipit, et magis magisque contractus in funiculum umbilicalem transit, in adultis raro, in foetu semper apertus reperitur.

Arteriae vesicales utriusque lateris ex ramis arteriae hypogastricae, e pudenda interna, ex obturatoria, ischiadica; in feminis ex uterina oriuntur, et ad partem vesicae inferiorem circa uretherum ostia transeunt; aliae ex haemorrhoidali media exeunt et ad partem vesicae inferiorem tendunt. Ramus arteriae umbilicalis ad inferiorem alius ad mediam, et alius denique ad superiorem vesicae partem progre-

ditur. Quae vasa ubique ramos ad telam cellulosam emittunt, et inter se vario modo nexae cernuntur, ita, ut multa formentur retia.

Venarum vesicae ortus et progressus idem est qui arteriarum. Sanguinem in hypogastricam et in haemorrhoidales, in feminis in uterinas effundunt.

Vasa lymphatica in plexum hypogastricum finiuntur.

Nervi hujus visceris ex plexu hypogastrico nervi sympathici magni et ex tertio quarto et quinto pari nervorum sacralium promanant.

Vesica urinaria lotium in renibus secretum et ab uretheribus guttatim acceptum non modo colligit et retinet, sed etiam justo tempore contractionibus fibrarum muscularium voluntariis excernit. Quanti momenti, quantae necessitatis et utilitatis organismi hoc viscus sit, ex quacunque demum illius morbosa adfectione elucescit. Si fibris muscularibus destituta esset vesica urinaria nec retineri nec excerni posset lotium: nam illarum ope hoc viscus extenditur, contrahitur.

Retentio urinae non solum collo vesicae ab ossibus pubis partibusque adjacentibus compresso, sed etiam sphinctere vesicae et levatioribus ani ponitur. Excretio lotii fibrarum muscularium contractione promovetur; a fibris enim longitudinalibus vesicae cavitas brevior, a transversis angustior redditur, quo fit, ut fluida in ea contenta compressionem vix patientia, vi quadam ejiciantur.

De retentione urinae.

Quodsi urina ordine consueto aut debita quantitate aut exoptata facilitate non emittitur, status ille

morbosus admodum complicatus et ex diversissimis causis oriundus, nomine retentionis insignitur.

Pro diversitate causarum et variae oriuntur formarum denominationes. Consuetim dividitur hic morbus in Dysuriam, Stranguriam et Ischuriam.

Dysuria, Schwerharnen, est mictus difficilis simul dolore urente comitatus, quae tamen sensatio molesta absoluta urinae missione mox evanescit. Radius urinae missae est exilis, divisus, contortus.

Stranguria, Harnzwang, Harnstrenge, est continuus ad urinam mittendam nixus, quo tamen haec nonnisi guttatim, cum sensu doloris, ardoris, saepe etiam frigoris et continuo vesicae urinariae tenesmo exprimitur, ita, ut nixus ille continuus vel mictu peracto molestat.

Ischuria, gänzliche Harnverhaltung, est facultas mingendi penitus sublata. Hicce status morbosus sensu stricto Ischuria vocatur, quippe qui vesicam urinariam lotio turgidam et ad ingentem saepe molem extensam offert, satisque ab aliis retentionis urinae speciebus discernitur, quoniam secessu lotii jam in vesica urinaria contenti, penitus abolito stipatur.

Nobis autem praeplacuit genus totalem suppressionem urinae, ischuriam videlicet designans, seligere.

De Ischuria.

Inter diversas opinionum divisiones maxime arridebat subscribere sequenti; in:

ischuriam veram, dum urina in vesica urinaria collecta haeret et via consueta excerni non potest,

ischuriam spuriam, si nulla in vesica reperitur urina, quoniam vel nulla in hanc defluit, aut nul-

la in renibus secernitur, aut quaedam in viis ad vesicam adsunt obstacula.

Symptomata ischuriam veram concomitantia semper ex adfectione topica vesicae urinariae fluunt. Persentiunt aegri in regione pubis dolores vehementes tensivos, qui ad perinaeum usque extenduntur et situ erecto augentur. Regio vesicae, perinaeum et abdomen tument et turgent, et sequitur sub attactu molestissimus urinas mittendi nixus. Morbo perdurante urina in uretheribus accumulatur et dolorificam illorum expansionem promovet. Sequuntur et mala modo consensuali secundaria, uti alvi obstipatio, summa inquietudo, colica, vomituritiones imo et vomitus, artuum tremor et musculorum motus convulsivi; ultimo tandem vesicae et uretherum inflammatio. Augetur dolor, et fit urens in regione vesicae, figitque febris radices. Sequuntur nunc singultus, delirium, syncope et frigus extremitatum, serius status soporosus, delirium mite, halitus foetens, tandem inscie secessus urinarum et ultimo sub tali tristissimo rerum statu gangraena et lenta flammae vitalis exstinctio.

Symptomata nunc adlata durante ischuria spuria ex malo topico non erunt derivanda; nam applicito cathetere nulla prosilit urina, quae si apparent, potius hoc nephritidi aut mechanicis quibusdam uretherum obstaculis per calculos vel conglomeratas particulas mucosas adscribendum erit.

Ischuria a recentioribus in perfectam et imperfectam dividitur.

Perfectam dicunt illam, quum nec guttula urinae secedit; imperfectam, si urina cum difficultate guttatim, aut exigua quantitate excernitur; aut si

involuntarie et ob vesicae nimiam oppletionem ejusque expansionem aliquid fluidi effunditur.

Dividitur etiam quoad sedem in ischuriam renalem, urethericam, vesicalem, urethralem. In hacce umbratione autem nonnisi de duabus ultimis formis loquar.

A e t i o l o g i a.

Praemissis igitur retentionis urinarum definitione et divisione, quas a modo et ratione, sede et extensione hausimus, in ipsas ischuriae causas nos animum advertere oportet; quum neque morbi cujusquam natura satis intelligi, nisi perspecta illius origine, neque ad morbum imminentem, praecavendum aut praesentem levandum tollendumve radicitus cum fructu certi quidquam agi possit, nisi cognitis momentis, quibus morbus praeparatur et excitatur, atque iis, quibus excitatus sustinetur, exasperatur, cum aliis complicatur, remotis, destructis, mitigatis.

Ischuria non est morbus substantivus sed semper secundarius, tam a dynamicis quam ab organicis morbis, organorum urinam excernentium dependens.

Causae ischuriam provocantes ex parte vesicae urinariae sunt multiplices et varii generis; aliae ex his, dum agunt vesicae urinariae contrahendi facultatem aut interrumpunt aut penitus tollunt, aliae lotii secessui impedimentum opponunt, quod validissimis vesicae nrinariae contractionibus diaphragmate et musculis abdominalibus adjuvantibus superari nequit. Physiologia docet, absque contractione vesicae urinariae lotium secerni non posse, hancque excretionem praelo abdominali et diaphragmate agentibus adjuvari, his duobus autem ultimis solis auxilianti-

bus lotii missionem absolvi non posse. Ex quibus patet paralysim vesicae semper ischuriam comitari, licet nullum, lotium ejaculandi, impedimentum adsit.

Causae, quae urinae transitum per vesicae collum in urethram impediunt, triplicis sunt generis:

I. genus eas complectitur, quae sedem aut in vesica urinaria aut in urethra habent.

II. quae in morbo vel vitio organico vesicae aut urethrae radicantur.

III. quae aut vesicam aut urethram externe adfectam tenent.

Ad primum causarum genus referuntur corpora peregrina tum in vesica urinaria tum in urethra haerentia ut: fungi, hydatides, sanguis coagulatus, mucus, vermes, calculi, cereoli aliaque in cavum vesicae urinariae delata corpora, quippe quae fluxum urinae praepediunt ostio vesicae urinariae adpellendo aut cavum urethrae ingrediendo.

Secundum genus causarum concernit colli vesicae urinariae et urethrae inflammationes, intumescentiam capitis gallinaginis aut vasorum colli vesicae varicositates; prostatam inflammatione per abscessus, varices, scirrhum, calculos in ejus substantia formatos tumidam; stricturas in interna urethrae parte in forma ligamentorum; tumores lymphaticos; indurationes; nodos; urinae infiltrationes intra hujus canalis membranas; cancrum penis; vitia organica, ut: urethram non perforatam, ejus per membranas obturationem, stricturas urethrae, praeputium non perforatum.

Causis tertii generis, id est potentiis nocentibus, quae vesicae collum et urethram obsident, et actione sua haecce organa premunt aut directionem earum mutant, accenseri merentur:

a) in sexu virili: collum vesicae et initium ure-

thrae per intestinum rectum pressionem patitur, si viscus hoc per alvum induratam per concrementa alvi calculosa, et per alia corpora peregrina majoris voluminis in cavum ejus delata, repletur, expanditur; aut si per inflammationem parietum aut per tumores scirrhosos, canceraticos, per collectionem puris inter membranas, aut in regione ani ad magnam increscit molem. Pressio urethrae denique per tumores in perinaeo, in scroto, juxta penis longitudinem, per ligaturas dictis partibus adplicitas produci potest. Ex his adlatis facile concipitur, quod tumor majoris ambitus, cujuscunque etiam sit indolis, in nullo harum partium loco persistere potest, quin sat validam pressionem in urethram exerceat, qua fit, ut urina justo longius aut retineatur, aut ejus excretio penitus inhibeatur. Itaque urinae retentio observata est qua posthumum tumoris inflammati, collectionis puris, effusionis sanguineae ex causa tumorum et calculorum urinalium, in perinaeo aut in scroto enatorum; imo etiam per tumorem sarcomatosum scroti, per hydrocelen, per herniam scrotalem ingentis magnitudinis, per aneurismata corporum cavernosorum etc. etc. oriri solet.

b) In sexu femineo ischuria originem trahit: ex pressione vesicae colli et urethrae per uterum gravidum quarto graviditatis mense et sub partu difficili; ex intumescentia uteri gravidi, si uterus corpus peregrinum, molam, calculum contineat; similes effectus producunt: tumor inflammatus, scirrhosus, canceraticus uteri, effusio serosa, cruenta in ejus cavo etc. etc.

Pressio vesicae colli et urethrae ex causa prolapsus, inversionis, inclinationis uteri gravidi non raro oritur; hocce malum ex dilatata vagina per fluxum

catamenialem in puellis verecundis vel etiam per quodlibet aliud corpus peregrinum in huncce canalem delatum enascitur.

Dilatatio vesicae urinariae parietum immediata est ischuriae sequela in hocce organo, quaecumque etiam sit hujus retentionis causa. Quum enim lotium fluxu non interrupto per uretheres advehitur et majori vi in vesicam urinariam effunditur, quam cui vesicae urinariae parietes resistere possint, sequitur, quod vesicae parietum dilatatio non aliis nisi extensionis limitibus circumscribatur. Verum enim vero, quum haec vesicae urinariae extensio in omnibus individuis non eadem sit, sequitur itidem, quod vesica urinaria variae capacitatis compos sit, sicut etiam, quod symptomatum ischuriae vehementia non semper in directa versetur cum copia collecti et in hoc organo retenti fluidi proportione. Quodsi fibrarum muscularium facultas contractionis imminuta sit, expansioni etiam minor resistentia ponitur, unde non raro sat magnum, voluminosum vesicae urinariae incrementum. Ad quem si increscit gradum vesica urinaria, lotium continuo per uretheres advectum, plus se effundendi obstaculi inveniet; proinde et pressio, quam lotium in vesica contentum in parietes exercet, est validior, quo pacto et ipsi canaliculi dilatari debent. Valvula pliciformis, quae ostium illorum in vesicam spectans occludit, disparet, et foramen communicans inter utrumque cavum situm nonnunquam pollicis latitudinem et ultra in diametro adquirit. Uretheribus denique per urinam dilatatis ipsum lotium in renibus retineatur necesse est, quorum functio tali pacto aut retardatur aut plane tollitur.

Nosographia.

Ischuriae principium non semper est idem; nonnunquam repente oritur et est perfecta, utpote qua praesente nec guttula lotii amplius ex urethra secedit; alias perfectae hujus fluidi retentioni per unum pluresve dies difficultas urinam mittendi praecedit; quo in casu urinae secedentis radius quoad vim et magnitudinem diminuitur, malo increscente nonnisi guttatim exprimitur, mingendi nixus continuo vexantes aut praecedunt aut lotii secessum comitantur, etiamsi mictum vix peregerit aeger. Sive ischuria lento passu initium capiat, sive derepente oriatur, quamprimum excretio lotii plenarie silet sequentia morbum concomitantur symptomata: Ponderis sensus in perinaeo, tenesmus in alvo deponenda, alvi obstructio, haemorrhoides, dolores acerbi in hypogastrio, qui decursum uretherum, versus regionem renum sequentes usque ad glandis apicem extenduntur, sensu crurum abolitione nonnunquam comitati; increscunt aegro ambulante, tussiente, situm erectum occupante, remittunt trunco ad anteriora flexo, musculis abdominalibus relaxatis. Anxius aeger sub continua jactitatione et inquietudine ad mictum cogitur sed incassum. Accedunt ad haec difficultas respirii, accenditur febris, oculi et facies rubent, sudores urinam redolent; oriuntur vomituritio et vomitus materiae mucoso-biliosae, urinarum odorem spargens. Si vero ischuria per plures perstat dies, vesica urinaria ad ingentem increscit molem, urina in uretheribus colligitur eosque extendit. Sub hac rerum positione dirissimi saeviunt in regione lumbali dolores; horrores spastici, tremores artuum, motus musculo-

rum convulsivi subintrant. Per urinae decompositionem et per effectus inde in organismum redundantes omnes mutantur excretiones, vesicae lenta oritur inflammatio, quae praecipue membranam vesicae urinariae mucosam adgreditur ejusque secretiones permutat; sub tali rerum statu labuntur vires, turbatur valetudo, patitur digestio; facies fit pallida, relaxantur musculi, parietes vesicae urinariae in gratiam inflammationis incrassantur; haud raro fit metastasis materiae urinariae ad encephalon, unde sopor, delirium mite, status nervosus, anima foetens, frigus cadaverosum totius corporis, saepe etiam fluxus urinae involuntarius, quibus sub phaenomenis gangraena vesicae urinariae et mors inevitabilis tristem claudunt scenam. His symptomatibus, quippe quae rationalia ischuriae phaenomena consideranda sunt, alia adsociantur signa empirica ut: tumores, quos vesica urinaria in intestino recto apud viros, in vagina apud feminas, in utroque autem sexu in ossium pubis regione producit. Intumescentia vesicae urinariae, (qua pressionem in intestinum rectum et vaginam exercet et facile per digitum in haec cava immissum exploratur, nonnisi anteriorem parietum partem intestini recti aut vaginae premit) est aequabilis, pressioni resistentiam opponit, absque notabili duritie in toto suo ambitu. Tumor supra ossium pubis regionem prominens variae est magnitudinis; nonnunquam usque supra umbilicum ad processum ensiformem extenditur; est tumor ille circumscriptus, cuti concolor, absque duritie in ambitu, in parte inferiori latior quam in superiori, pressioni resistit, erga tactum parum sensilis; majori vero vi pressus nisum ad mictum excitat. Symptoma indolem tumoris hujus patefaciens pathognomonicum in undulatione consistit

quae sub exploratione in hypogastrio proxime intestino recto aut vaginae persentitur. Ejusmodi autem intumescentiae non semper adsunt; in multis casibus perfectae observatae sunt ischuriae, in quibus vesica urinaria parum extensa supra ossium pubis regionem non adscendit, anteriorem intestini recti aut vaginae superficiem non pressit, et nonnisi aliqua lotii cochlearia continuit.

Signa rationalia qua talia minime ad perfectam hujus morbi diagnosim sufficiunt; ast, si empiricis jungantur phaenomenis, nullum de hujus morbi existentia relinquunt dubium. Diagnosim itaque ischuriae molienti nil aliud faciendum relinquitur, nisi cum signis supra adlatis phaenomena quoque morborum ischuriam provocantium et sustentantium una simul copulare.

Prognosis.

Praesagium in morbo, qui in altero radices figit, per hujus quoque conditionem quam plurimum limitatur. Ischuria in genere ad morbos periculi plenos pertinet; est enim malum, in quo phaenomena in diagnosi nominata ad maximum evehuntur gradum, quod jam intra paucos dies inflammatione et gangraena exortis mortem inducere potest; in casu vero laetiori singularem sibi et medentis patientiam expostulat. Si ischuria est perfecta, malis est accensenda medici auxilium quam citissime exigentibus, quod si negligitur, funestissimum habere solet exitum. Quum vero ischuria sit effectus alius morbi, prognosis secundum hunc est statuenda, et nunquam de ischuriae sanatione cogitandum, nisi prius morbo, qui eam facit, sustinet, exasperat, abacto. Plus adhuc timendum, ubi morbus

recidivus fit continuumque servat typum, quum hoc in casu ut plurimum organicis vitiis originem debet; majus est denique periculum in subjectis aetate provectioribus, seniculis, quam in junioribus individuis, quippe cum morbus in his spastici in illis paralytici sit originis.

D u r a t i o.

Varium est, per quod ischuria extenditur temporis spatium; nonnunquam paucis limitatur horis, alias plures emetitur dies, menses. Interdum symptomatum enumeratorum plurima derepente evolvuntur, hominemque cito in periculum conjiciunt, praeprimis infaustis sub circumstantiis. Si autem morbi gradus mediocris et therapia congrue adhibita justo tempore in usum vocata fuerit, aut si aliae circumstantiae faventes contribuerint, ischuria plerumque in sanitatem transire solet; perverse tractatus morbus dolenda et haud tollenda relinquit posthuma.

E x i t u s.

Minimum, quod in gratiam diu persistentis et violentis vesicae urinariae expansionis infertur damnum, est, quod vesica facultatem sese expandendi et contrahendi elasticam amittat, quae nonnisi per longius temporis intervallum et difficillime restitui potest. Hocce organon, quiete non concessa per lotium, mora justo longiore, acrimonia et substantiis alcalinis scatens, lacessitum, in inflammationem abripitur, quae sub circumstantiis faventibus nonnunquam in resolutionem, sub adversis in suppurationem mali moris, indurationem, gangraenam transit.

Resolutionem omnium optimum eventum speramus, si dolores, symptomata inflammationis et febris sensim sensimque decrescunt; si sudor largus allevians nec frigidus in toto erumpit corpore, si urina larga, spissa, puriformis, sedimentum crassum deponens excernitur, aut si, ut non raro fit, profluvia antea suppressa denuo in conspectum veniunt. Resolutione feliciter contingente, omnibus curis medici adhibitis, impediri saepius non potest, quominus ope lymphae plasticae exsudatae concretiones cum partibus vicinis fiant, quas nonnisi post mortem detegere licet.

Suppurationem eventuram esse concludimus, si inflammatio diutius jam occupavit organon, si inflammationis phaenomena una cum febri quidem minuuntur, dolor tamen pungens in pulsantem mutatur, partesque oedematosae fiunt; si versus vesperam horror sequente calore ac sudore sentitur, sique haec febriculae symptomata quotidie recurrunt; si paulo post alia accedunt signa, uti: genarum rubor, volae manus plantaeque pedis ardor inter 24 horas bis repetitus, si pulsus duri ac celeres evadunt, sensim molles fiunt, debiles et parvi sudoresque matutini superveniunt. Quando ad summum fastigium malum ascendit, febris hectica gradus altioris, diarrhoea colliquativa ac pedum oedemata oriri solent. Puris ex abscessu secretio et suppurationis exitus diversi sunt. Etenim in quibusdam pus in vesicam urinariam ipsam transit et cum lotio plerumque, parva sanguinis quantitate mixtum sub sensu constrictionis et doloris excernitur, plerumque crassum et tenax, quod sedimentum largum deponit nec non statim post mictum foetet; in aliis vel per uterum vel per intestinum rectum effluit vel perinaeo rupto exteriora petit, quod imprimis fit,

collo vesicae inflammato; in quibus omnibus vita quidem servari potest, salutis autem recuperatio ob fistulam urinalem praesentem fere semper insanabilem haud speranda. Si peritonaeo corroso in abdomen emittitur pus, hydrops oritur purulentus, et tum nil nisi mors subita restat; aut vesica urinaria cum intestinis concreta, fistula oritur, per quam urina in circumferentia textus cellulosi infiltratur, gangraenam et iterum letalem ponit exitum.

Gangraena, utpote infaustissimus exitus ischuriae tunc maxime timenda, dum inflammatio cum febri adynamica fuit juncta aut diu protracta et male curata, quae ex variis signis praevideri potest. Caloris, doloris et anxietatis vehementia, quae paulo ante miserandum in modum cruciaverat aegrum, repente cessat, extrema virium vitalium insequitur dejectio, pulsuum inaequalitas, infirmitas ac intermissio, lipothymiae, singultus, convulsiones, vomitus continuus, sopor, sudor viscidus et frigidus, sensuum oppressio, deliria placida, facies collapsa et alienata. Urina cum inscio tum nolenti effluit aegro putrida, nigricans, particulis lividis mixta; regio pubis oedematose tumet, non raro in superficie maculae rubrae adparent, lividae, quae a plurimis observatoribus pro certissimis gangraenae signis habentur. Cum ad summum gradum adscendit gangraena, vesica rumpitur, tumor in pelvi antea durissimus subito evanescit, atque si gangraena ad majorem extenditur plagam, mors repentina tristem claudit scenam, aut si ad minorem plagam restringitur, infiltrationem urinae et fistulas urinales pedisequas habet. Fatendum interea est, vesicam gangraena nonnunquam inveniri destructam, licet nullis sese prodidisset phaenomenis.

Therapia.

Therapia ischuriae faventibus sub circumstantiis consistit in propellendo lotio in vesica urinaria collecto, quod nonnisi tum perfici potest, si causa, lotium retinens, per remedia, naturae morbi convenientia tollatur; ast si huicce indicationi nullo modo satisfieri posset, medentis conamen eo est dirigendum, ut urina emittatur, quod per catheterem, semper autem elasticum vel in casu desperato per vesicae punctionem consequitur. Quoad cetera morbo convenientia remedia attinet, illa causae morbum producenti subordinantur. Fungi et excrescentia vesicae urinariae raro quidem occurrunt; quae si adsunt, semper diagnosim incertam reddunt. Adplicatio catheteris palliativam nonnisi hoc in casu adfert medelam. Si collum vesicae per membranas vermiformes, hydatides, lympham induratam obstruitur, per injectiones iteratas catheteris ope sunt removenda; si post haemorrhagias ex viis urinalibus sanguis collectus, in grumos et materiam polyposam degeneratus, mucus, pus, vesicae collum occludunt, injectionibus aqua tepida constantibus catheteris ope indigent, quibus substantiae hae resolvuntur, eluuntur. Si ad collum vesicae calculus adpulit, lotiumque retinet, ille situ dorsali ex parte aegri adsumto pelvique elevata a vesicae collo est removendus. Cereoli aliaque similis farinae ab extus in vesicam delata corpora peregrina paracentesin vesicae urinariae exposcunt. Calculi minoris magnitudinis cervicem vesicae aut partem urethrae membranaceam obcludentes, injectionibus, et contemporanea perinaei frictione et digitis percussione debita tamen cautela institutis cedere so-

lent. Inflammatio colli vesicae antiphlogisticis, habito ratione causae producentis, venaesectione in brachia et hirudinibus perinaeo vel ano adplicitis est oppugnanda; tanta enim est venaesectionis in hoc casu utilitas, ut jam sanguine manante, urinam copiose mitti solere adserant observatores. In eundem scopum collimant potus emollientes, diluentes, emulsa, eccoprotica fomenta, cataplasmata tepida ad pubis regionem et perinaeum imposita; vapores emollientes, semicupia, balnea tepida; inunctiones oleosae. Injectiones ex lacte, althaea, infuso capitum papaveris in urethram tepide injiciendae. Praeprimis mercurius dulcis majori dosi suam hic laudem meretur; clysmata laxantia, oleosa, cum pauxillo opii non sunt negligenda, a quibus tepide injectis, promptum lenimen dolorum trahere solent aegri. Inflammationis vehementia adparatu antiphlogistico fracta, remedia narcotica, imprimis opium mercurio dulci junctum et hyoscyamus hoc in morbo medici votis respondent; adhibetur itaque interne aut in substantia aut in emulsione gummosa, aut clysmatibus in forma solutionis additur; aut in unione cum pinguibus et unguento cinereo in regione pubis illinitur; aut cataplasmatibus ex herba altheae, malvae, capitibus papaveris, flor. sambuci, herba cicutae, mica panis albi, farina seminum lini paratis et perinaeo imponendis admiscetur. Magna cum utilitate insuper adhibentur pediluvia, semicupia, et balnea universalia, sub quorum usu lotium, longiori jam tempore retentum cum summo aegri levamine larga saepe quantitate mittitur. His omnibus sedulo adhibitis saepenumero lotii excretio tamen non contingit, sed vesica ad ingentem nonnunquam extenditur magnitudinem et ruptionem letalem in abdominis cavum minatur;

absoluta urget evacuationis necessitas; quare catheteris, et quidem elastici, oleo illiniti ope eductio lotii debita mansuetudine tentanda, quam quidem facilius in feminis quam in viris succedere novimus. Invento autem pertinaci, ob summam tumentis cervicis constrictionem, obstaculo ac increscentibus ab introducto specillo tormentis, desistendum potius et ad vesicae punctionem recurrendum, quam plerumque quatuor viis tentare solent chirurgi, nempe per anum, per vaginam, ad perinaeum et ad hypogastrium. Lotio detracto decoctum pacans emolliens ex althea, salep, sem. lini etc. injiciatur, qua ratione tenesmus, dolor et spasmus multum mitigantur. Chronicae urinae retentiones frequenter per processum inflammatorium diu persistentem vesicae colli oriuntur, qui mox in indurationem et incrassationem membranarum vesicae transit, quod praecipue aetate lustris consumpta fieri solet. In individuis junioribus hoc malum oritur qua posthumum syphilidis inveteratae, arthritidis; rheumatismi retropulsi, aut suppressae impetiginis, nec non aliarum mechanice agentium causarum.

In urethrae inflammatione antiphlogistice procedendum. Fiat depletio sanguinis per hirudines perinaeo adplicitas, cui aeque ac pubis regioni cataplasmata emollientia imponantur. Adplicatio catheteris hoc in casu non urget, quia post sufficientem sanguinis detractionem lotium plerumque sua sponte secedit. His autem insufficientibus, imprimis si gangraena timetur, paracentesis vesicae absque mora est suscipienda. Prostata inflammata depletionem sanguinis exposcit, imprimis hirudines perinaeo et bulbo urethrae adplicandas; superimponantur praeterea cataplasmata eccoprotica, et injiciantur enemata emol-

lientia. Interne mercurius dulcis opio junctus et emulsa optime conveniunt; praeterea adplicatio catheteris est tentanda, cui si ob inflammationis vehementiam locus non concederetur, ad vesicae punctionem illico refugiendum. Quamprimum prostatae signa suppurationis in conspectum prodeunt, venaesectionibus antiphlogisticis ac sedantibus remediis valedicendum, eo tantum casu excepto ubi febris, pro bona suppuratione nimia, aut gangraenam minitans, illam ipsam comitatur, tunc sanguinis detractioni adhucdum locus datur.

Varices prostatae glandulae haemorrhoidum cura indigent. In scirrho prostatae resolventia adhibenda et catheter applicandus. Stricturae urethrae plerumque in regione bulbi exoriri solent; harum perfecta sanatio nonnisi raro fit. Quoad originem posthuma sunt medorrhoeae inflammatoriae, non raro ex acrimonia arthritidis, rheumatismi, scrophulae nascuntur. Rarius per cicatrices oriuntur, et immediate post ulceris sanationem. Fit nonnunquam, quod ob tumorem rubrum, durum, magnitudine crescentem ruptura urethrae immineat. Therapia cum illa collimat quam de inflammatione vesicae colli adduximus. Antiphlogistico tractamine per 2 aut 3 horas incassum tentato, symptomatibus ischuriae increscentibus, absque mora punctio vesicae, aut si strictura citra bulbi regionem sita est, urethrotomia instituenda. Cancer penis et vitia organica: uti urethra non perforata, ejus per membranas obturatio, nimia angustatio, praeputium non perforatum, opem chirurgicam deposcunt. Alvus indurata et concrementa intestini recti calculosa, sicut et alia corpora peregrina in hoc viscus delata, quae pressionem in vesicam, cervicem ejus et urethrae principium exerunt, magnas curae difficultates

opponunt. Excrementa dura per clysteres emollientes addito pauxillo butyri vel olei resolvenda, ani regio cum remediis emollientibus, oleosis saepius fomentanda; si haec levamen non adferant, per catheterem lotium est emittendum, palliativae saltem medelae prospiciendo. Omnibus autem his frustra adhibitis mors non est praecavenda. Tumores intestini recti scirrhosi, canceratici; inflammatio parietum, prout et pressio urethrae per tumores in perinaeo, in scroto juxta penis longitudinem enatos; hydrocele; hernia scroti; aneurismata corporum penis cavernosorum etc. etc. suam propriam deposcunt medelam, tum ex foro chirurgico petitam, tum cuilibet medico rationali aliunde notam. Pressio uteri gravidi per enemata evacuantia, situm dorsalem elevata pelvi est minuenda; nonnunquam per digitum vaginae immissum uterus gravidus sursum elevari et tali modo pressio, quam mole sua in vesicam exercet minui aut plane tolli potest. In malo pertinaciori adplicatio catheteris tentanda est, quae si expectationi non responderit, punctio vesicae adcommodato supra ossa pubis loco instituatur est necesse. Tumor uteri inflammatus, scirrhosus, canceraticus; effusio serosa, cruenta in ejus cavo remediis convenientibus sunt tractanda; prolapsus, inversio uteri et vaginae, repositionem; corpus quodcumque peregrinum extractionem: calculus operationem deposcunt. Dilatatio parietum vesicae atoniam imo paralysim pedisequam habet; ex quacumque demum causa originem traxerit, difficile semper debitum recuperat tonum, inprimis si senectute decrepitos, individua temperamenti frigidi, vitam sedentariam agentia et per veneris abusum exhausta plectitur. Cura exposcit catheterem per diem, si necessitas urget saepius adplicandum, remedia interna et externa ad faculta-

tem vesicae sese contrahendi promovendam; cui scopo inserviunt: infusum flor. arnicae, oleum animale Dipellii, tinctura cantharidum in emulso amygdalino propinata; Balsamum peruvianum, Ipecacuanha dosi refracta exhibita; lotiones frigidae in pubis et perinaei regione institutae; fomenta frigida cum solutione aluminis, salis ammoniaci cum aceto etc. etc.; balnea frigida, tonica, ferrata; injectiones frigidae in intestinum rectum, tepidae ex infuso herbarum aromaticarum in vesicam urinariam factae; frictiones cum linimento volatili in perinaeo et in regione vesicae institutae; galvanismus, electricitas. Ischuria ex causis per consensum agentibus orta, variam atque variam deposcit medelam, tum morbo primario, tum retentioni lotii convenientem.

Cura in convalescentia.

Medici tandem ultimo est, impedire, ne morbus redeat. Sedulo et severe itaque aegro injungendum venit, ut omnia supra in aetiologia exposita momenta vitet; victus detur, si fieri potest, blande nutriens et vitae rebusque domesticis adcommodatus. Sub reconvalescentia praeprimis diu a rebus venereis abstineat et quamcumque genitalium per spirituosa, acria vegetabilia, condimenta irritationem vitet. Respectu urinae attendat, ne diutius, quam par, retineatur, et acrimonia, si qua gaudet, potu emolliente, mucilaginoso, cibisque blandis mitigetur.

Theses defendendae.

I.

Naturae scientia totius medicinae fundamentum.

II.

Plantarum nuptiae mediatae insectorum ope in Syngenesiae classe luculenter demonstrantur.

III.

Anatomia comparativa basis totius physiologiae.

IV.

Vitae notio clarissima pertinet ad naturae mysteria.

V.

Frigus debilitat.

VI.

In manu prudentis medici non datur venenum.

VII.

Sanguinis infectio per contagia non datur.

VIII.

Conatus naturae medicatricis sancte venerandi.

IX.

Dantur morbi salutares a medico fovendi.

X.

Sympathiae qua morborum symptomata consideratae maximam merentur medici attentionem.

XI.

Empyema ex peripneumonia semper letale.

XII.

Therapia simplicissima optima.

XIII.

Congruum diaeteticum regimen primum in omni morbo remedium.

XIV.

Matrimonium morbos profert et sanat.

XV.

Magni momenti in typho regulari est methodus exspectativa.

XVI.

Myopia et presbyopia saepius pravae consuetudinis quam conformationis vitiosae sunt progenies.

XVII.

Studium medicinae nonnisi morte finiendum.

XVIII.

Tremores brachii, symptoma typhi, vix non semper letales deprehenduntur.

XIX.

Phaenomena gravitatis, porro chemica, electrica, magnetica, lucis, caloris sunt effectus vis unius, quae est vis attractiva.

XX.

In morbis uteri, praesertim si eos infarctus viscerum abdominalium comitantur, aqua soteria, quam Kissinger Ragozi dicunt, optime conducit.

XXI.

Ad explicandum processum vitalem non necesse est duas vires (vim attractivam et repulsivam) sta-

tuere, unica eaque attractiva sufficit, ad functiones vitales producendas.

XXII.

Unguentum anglicanum ad scabiem: Rp. Sulfuris unciam unam; pulveris radic. Hellebori albi drachmam unam; nitri puri scrupl. semis; saponis mollis, axungiae porci aa unciam unam semis; mirum in modum taediosam hanc impetiginem intra nychthemeron sanat.